

Aphorismi.

Annus reuolutionis, id est, Ascendens reuolutionis, si uenerit ad partem Celati, & locus coniunctionis uel oppositionis præcedens natiuitatem, si ad radios fortunæ peruenerit, diuitiæ ad natum peruenient causa alicuius iudicij.

Pars fortunæ in bono loco figuræ, id est, ubi fuerint in radice stellæ fortunantes, uel eorum boni aspectus, decernit nato augmentum & lucrum substantiæ.

Dominus secundæ domus reuolutionis in ascendente reuolutionis, significat quòd ueniet substantia aliqua ad eum sine suo labore.

Si fuerint stellæ primæ uel secundæ magnitudinis in domo nona radice, uel inter angulum nonæ & decimæ, eo anno quo directio ad eam peruenerit, si nonæ dominus non sit combustus aut cadens, natus tali anno fortunabitur. Idem etiam erit, si ad eum applicuerit dominus ascendens.

Quando natalis hora fuerit aliquis planetarum in ascendente, uel in reuolutione in secunda domo, natus eo anno erit intentus in acquisitionem substantiæ.

Planeta peregrinus si in radice fuerit in secunda, & sit in reuolutione in ascendente, significat lucrum aliquod à parte, à qua non sperauerit. Qui si fuerit in tertia, uel nona, erit lucrum illud in terra aliena, uel propter fratres, uel affines. Quòd si in quarta, à parentibus, uel per hæreditates. Si in quinta, per filios. Et sic de alijs secundum significata domorum. Et nota quòd in hac re non consideramus aspectum nec applicationes:

Si uenerit Ascendens reuolutionis ad locum Iouis radice, & ipse sit coniunctus ascendenti per corpus, uel bonum aspectum, natus eo anno honorabitur, acquirat diuitias leuiter, & filium: si uiderit ascendens malo aspectu, hæc omnia fient, sed cum difficultate. Si uerò cum eo sit aliquis infortunans, damnabit Iouis significata.

Quando dominus Ascendens, uel Almuten natiuitatis coniungitur cum significatore substantiæ, scilicet cum domino secundæ, aut cum planeta existente, in secunda in radice, utilitas promittitur ex significatis significatoris illius. Exempli gratia, Mercurius fuit in secunda radice, quare est significator substantiæ, Idem est, & significator seruorum, utilitas igitur illa expectanda est per seruos, in die qua Mercurius, & Iupiter dominus ascendens radice, coniungentur. Et sicut de significatore substantiæ per coniunctionem cum domino ascendens radice iudicauimus utilitatem & lucrum: simili modo iudicare poterimus de reliquis significatoribus suo modo.

Si dominus secundæ reuolutionis impediretur à domino ascendens in aliqua reuolutione, dic natum eo anno non adepturum diuitias.

Infortuna in secunda reuolutionis, significat quòd natus multa dispendia faciet secundum naturam infortunæ. Vt si Mars ibi repertus fuerit, minatur dispendia propter Martiales homines acres.

Pars fortunæ debet inspicere pro rebus substantiæ. Nam eo anno quo infortunio afficitur, nemo diuitias acquirat.

Pars fortunæ in reuolutione sic proijcitur. Quòd est à Sole in Lunam in radice, proijce ab ascendente reuolutionis. Si eam in reuolutione aspexerit aliquis fortunæ dominorum, lucrabitur illo anno natus. Alij uero sic, Vide quot gradibus pars fortunæ distet ab ascendente radice, & similiter illum numerum proijce ab ascendente tuæ reuolutionis, & uide quo in loco fuerit, quæ si bene aspicitur, bonum significat, si malè, natus aduersantibus implicabitur, maxime si sic etiam in natali fuerit.

Melior fortuna quæ in reuolutione nato posset contingere, est quòd planeta qui in ea dominabitur sit fortunatus, receptus, & foelix, radio fortunæ stellarum ornatus. Quòd si infortunantes eum uiderint, contrarium iudicato. Si utriq; & fortunæ & maleficæ ipsum circumdederint, secundum fortiores iudicato.

Quando